



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio III. De aliquibus attributis divinis in particulari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

Divinitate, inquit, Deus est sed divinitas non est Deus. Ergo, &c.

R. N. min. Nam Gilbertus Porretanus minimè docuit Deum esse justum, bonum, sanctum, Deum per formas à se invicem discrepantes, & quæ non sunt Deus, hac voce, Deus, supponente pro natura divina: sed solum docuit, Deum esse justum, bonum, sanctum, Deum per unicam formam, quæ non est Deus, hac voce, Deus, supponente pro persona divina. Unde arguebat illum S. Bernardus, quòd etsi non multiplicem, duplicem tamen Deum assereret: quòd non ad merum simplex pervenisset: quòd vel uni tantum formæ Deum reddendo obnoxium, simplicitatem, quæ clarè continetur in idea entis, quo nihil melius cogitari potest, tam à Deo excluderet, quàm si cum pluribus formis realiter ab invicem distinctis subiceret: quòd Deum uni saltem formæ id totum, quod est, debere vellet.

Ad verba laudata S. Doctoris R. ex illis nihil pro opposita sententia sequi. Igitur Gilbertus cum suis assererat, Deum, to Deum, supponente pro persona divina, non esse magnitudinem, quæ magnus est, non esse bonitatem, quæ bonus est, non esse sapientiam, quæ sapiens est, non esse iustitiam, quæ justus est, non esse divinitatem, quæ Deus est; assererat, inquam, quia volebat Deum non esse se ipso magnum, bonum, sapientem, justum, Deum, sed per entitatem realiter ab eo distinctam, quæ simul esset divinitas, magnitudo, bonitas, sapientia, &c. Non multa, inquebant teste S. Bernardo, sed unam tantum divinitatem, quæ omnia illa sunt, nempe magnitudo, bonitas, sapientia, iustitia, &c. Deo, ut sit, conferre asserimus. Et verò si Gilbertus magnitudinem, bonitatem, sapientiam, iustitiam, &c. in Deo realiter distinctis ab invicem & ab essentia divina, docuisset Deum non esse contentum una forma, sed pluribus indigere; non uni, sed pluribus formis debere, quòd est; non uni tantum, sed innumeris formis obnoxium esse, & subistere. Quod tamen evidenter falsum est ex S. Bernardo.

Dices. Cum Gilbertus agebat magnitudinem, quæ magnus est Deus, non esse Deum; bonitatem, quæ bonus est Deus, non esse Deum, &c. nomine Dei ipsam naturam divinam intelligebat. Ergo magnitudinem, bonitatem, sapientiam, iustitiam, &c. distinguebat realiter ab essentia divina. R. N. ant. Nam v. g. magnitudinem, quæ magnus est Deus, negabat esse Deum, eodem planè sensu, quo negabat divinitatem, quæ Deus est, esse Deum. At cum negabat divinitatem, quæ Deus est, esse Deum, nomine Dei intelligebat, non naturam, sed personam divinam, ut probatur ex Ortone Fringensii, lib. 1. de Gestis Frederici, c. 56. ubi de Gilberto sic loquitur: Dicebat hoc nomen Deus quandoque in designatione nature, quandoque in designatione persone unius etiam poni; quare & agebat se divinitatem esse Deum in illo tantum sensu concedere, quo Deus ponitur pro natura: in eo vero absolute concedere non audere, quo pro qualibet personarum hoc nomen Deus accommodatur, &c. Concedebat igitur Porretanus divinitatem esse Deum, intelligendo nomine Dei naturam divinam; nec negabat divinitatem esse Deum, nisi cum intelligebatur nomine Dei persona divina. Unde Eugenius in Concilio Rhemensi errorem ejus damnans, non definiit, ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & divinitatem divideret, sed, ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & personam divideret, neve Deus (hac voce, Deus, supponente pro persona) divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi; hoc est, neve persona divina diceretur divinitate Deus, sed etiam divinitas propter identitatem personæ divinæ cum ipsa divinitate. Ergo Gilbertus, quando negabat magnitudinem, quæ Deus magnus est, (idem dic de cæteris attributis) esse Deum, nomine Dei intelligebat, non naturam, sed personam divinam. Ergo non distinguebat realiter attributa ab essentia, sed solum à personis divinis, & consequenter non distinguebat ea inter se realiter.

DISPUTATIO IV.

De aliquibus Attributis divinis in particulari.

IN hac disputatione, quanta fieri poterit brevitate, agemus, 1. De simplicitate & incorporeitate Dei. 2. De sententia Tertulliani circa hanc incorporeitatem. 3. De bonitate Dei. 4. De infinitate. 5. De immensitate. 6. De immutabilitate. 7. De æternitate. 8. De omnipotentia: reliqua Attributa sequentibus Disputationibus profecturi.

ARTICULUS I.

Utrum Deus sit simplex, & incorporeus.

RESPONSIO I.

Deus est ens simplicissimum.

Ira S. Thomas hic q. 3. pluribus articulis. Et prob. 1. ex Conc. Later. IV. c. Firmiter, ubi definitur, Deum esse substantiam seu naturam simplicem omnino. 2. Ex S. Bernardo, lib. 5. de Consider. c. 7. Non est compositus Deus, inquit, merum simplex est. 3. Ratione. Quia ens simplicissimum dicitur, quòd se ipso est, quiddam est, absque omni compositione reali. Atqui talis est Deus. Ergo, &c. Prob. min. Melius est enti ut sic, se ipso esse, quiddam est, absque omni compositione reali, quàm non esse, quiddam est, sine compositione reali: omnis enim compositio realis multiplicem imperfectionem involvit. Unde illud S. Bernardi loco citato: Vero iudicio natura simplex multiplici antefertur. Atqui Deus habet, quiddam est, quòd melius est enti ut sic: alioqui non esset ens, quo nihil melius cogitari potest. Ergo, &c. Hoc argumeto contra Gilbertum Porretanum utitur S. Bernardus, ut patet ex ejus verbis superius laudatis.

Obj. 1. Ibi non est simplicitas, ubi est multitudo. Sed in Deo est multitudo personarum, realiter distinctarum. Ergo, &c. R. Dist. maj. Ubi est multitudo, quæ facit compositionem realem, C. maj. Quæ non facit compositionem realem, N. maj. Nam sola compositio realis opponitur simplicitati. In Deo autem multitudo personarum non facit compositionem realem: nam personæ divinæ neque componuntur realiter cum essentia divina, cum non distinguantur ab ea realiter; neque componuntur realiter inter se, quia non uniuntur ad invicem; & tamen ad compositionem realem præter realem distinctionem extremorum requiritur eorumdem realis unio ad invicem.

Obj. 2. Illud ens non est simplex, in quo reperitur compositio. Atqui in Deo reperitur compositio. Ergo, &c. R. Dist. maj. In quo reperitur compositio realis, C. maj. Simplicitas enim dicit essentialiter negationem omnis compositionis realis. In quo reperitur compositio virtualis tantum, N. maj. Compositio enim virtualis tantum non opponitur simplicitati, sed compositioni reali, quæ destruit simplicitatem; nec tollit simplicitatem, sed eam supponit, & cum ea perfectionem quandam & amplitudinem rei simplicis. In Deo autem reperitur quidem compositio virtualis ex natura & proprietatibus relativis, item ex essentia & attributis: at nulla reperitur compositio realis: omnis enim compositio realis vel est substantialis, hoc est, ex materia & forma; vel accidentalis, hoc est, ex substantia & accidente. Atqui utraque compositio repugnat Deo, ut potè enti, quo nihil melius esse, vel cogitari potest; cui proinde repugnant imperfectiones omnes, quas utraque compositio importat in re composita. Sic compositio ex substantia & accidente arguit in substantia indigentiam, potentialitatem & perfectibilitatem realem, mutabilitatem, &c. Compositio verò ex materia & forma importat in composito ex illis resultante insufficientiam ad existendum sine causa producente & conservante, destructibilitatem

ratem & corruptibilitatem, limitationem in essentia, in perfectionibus, in extensione, in duratione, &c.

Dices. Saltem reperitur in Deo compositio metaphysica ex essentia & existentia, ex genere & differentia. *R. 1.* hoc esse falsum. Nam neque Deus habet genus propriè dictum, neque in Deo essentia & existentia distinguuntur ratione: cum existentia à se sit formalissimè tota essentia Dei propriè dicta. *R. 2.* compositionem metaphysicam non nocere simplicitati, quia nihil ponit in re: nihil enim aliud est, quam denominatio extrinseca, petita ab intellectu nostro, plura virtualiter tantum distincta, diversis conceptibus exprimente, eaque representante per modum partium, componentium aliquod totum. Unde ulterius patet, compositionem metaphysicam formaliter totam esse in potentia vitali, realiter operante; nec esse in re, quæ sic dicitur composita, nisi fundamentaliter, quatenus res illa, licet in se simplex & indivisibilis, est virtualiter ampla, & æquivalens toti, composito realiter ex pluribus realiter inter se distinctis, in ordine ad diversos effectus, sive formales, sive effectivos.

RESPONSIO II.

Deus est incorporeus. Ita S. Thomas q. 3. ar. 1. Est contra Anthropomorphitas, sic dictos, quod Deo corpus & humanam effigiem tribuerent, propter verba illa Scripturæ, Gen. cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, male ab illis & crasse intellecta. Errorum hunc attribuit Audianis S. Augustinus, lib. de hæresibus, hæ. 50. Quamquam illos excusans S. Epiphanius lib. 2. contra hæreses, num. 70. asserat, eos in eo præcisè peccasse, quod pertinaciter contenderent, hominem esse Dei imaginem secundum corpus suum. Unde docet eos, non hæreticos, sed solum schismaticos fuisse, eo quod quamvis de rebus fidei rectè sentientes, sese ab Ecclesia segregassent, & seorsim cætos suos haberent, cum cæteris fidelibus orare nolentes, & Pascha cum Judæis celebrantes; in eundem errorem impigeret Monachi plerique Ægyptii, imperante Arcadio, ut refert Sozomenus, lib. 8. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 11. sed contra illos

Prob. Resp. 1. Ex Script. Nam Joan. c. 4. dicitur: *Spiritus est Deus*. 2. Ex Patribus Anthropomorphitas hæreticis accensentibus. 3. Ratione. Quia Deus est, quidquid melius est esse. Atqui melius est esse spiritum, quam corpus. Ergo, &c. Præterea, si Deus esset corpus, vel esset corpus vivum, vel corpus non vivum. Neutrum dici potest. Non primum. Alioqui Deus est compositus ex materia & forma: quod repugnat ejus simplicitati. Non secundum. Alioqui Deus est substantia purè materialis, & consequenter est in infimo gradu essendi: quod manifestè repugnat enti supremo & nobilissimo. Ergo, &c.

Obj. Corpus & membra humana attribuiuntur Deo in Scriptura sacra. Item homo conditus est ad imaginem & similitudinem Dei. *R. ad 1.* corpus & membra humana, & alia ejusmodi attribui metaphoricè, & secundum quandam similitudinem Deo in Scriptura, ad exprimendos actus divinos, qui cum nostris actibus quandam analogiam habent. *R. ad 2.* cum S. Thoma in resp. ad 2. hominem conditum esse ad imaginem Dei secundum id, quo cæteris animalibus excellit; excellit autem cæteris animalibus secundum rationem & intellectum, quæ sunt incorporea, proindeque homo conditus est ad imaginem Dei secundum aliquid spirituale & incorporeum, non verò secundum corpus.

ARTICULUS II.

Utrum Tertullianus senserit Deum esse corpus.

Deum esse corpus, videtur pluribus locis asserere Tertullianus. Nam sic loquitur, lib. de carne Christi, c. 11. *Omne quod est, corpus est sui generis. Nihil est incorporeale, nisi quod non est.* Et lib. contra Praxeam, c. 7. *Quis negabit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie.*

Et lib. 2. contra Marcionem c. 16. *Et dextram, & oculos, & pedes Dei legimus.* Sit tamen

RESPONSIO.

Tertullianus excusari potest ab hoc errore.

Prob. Ex S. Augustino lib. de hæres. c. 86. ubi hæc habet: *Tertullianus, sicut scripta ejus indicant, animam dicit immortalem quidem, sed eam effigiarum corpus esse contendit. Neque hanc tantum, sed ipsum etiam Deum corporeum esse dicit, licet non effigiarum. Nec tamen hinc hæreticus creditur factus. Posset enim quoquo modo putari ipsam naturam, substantiamque divinam corpus vocare, non tale corpus, cujus partes aliæ majores, aliæ minores valeant vel debeant cogitari, qualia sunt omnia, quæ propriè dicimus corpora; quamvis de anima tale quid sentiat: sed potuit, ut dixi, propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas, sed ubique totus & per locorum spatia nulla partitus, in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet.*

Igitur interprete S. Augustino, Tertullianus, cum Deum esse corpus scribit, non inconvenienter dicitur, nomine corporis tunc intelligere id, quod nec est nihil, aut inanitas, nec accidens, nec modus entis, sed est ens reale, realiter per se subsistens & existens, hoc est, intelligere substantiam realiter existentem. Quo sanè sensu omnis spiritus est corpus sui generis, ut loquitur Tertullianus, lib. de carne Christi, c. 11. Imò hanc esse Tertulliani mentem, videtur demonstrari ex ejus principiis, nisi tamen dicatur sibi ipse contradixisse. Duo enim expressè docet. 1. Lib. de anima c. 7. Corporeum & passibile converti, hoc est, omne corporeum esse passibile, & vicissim omne passibile esse corporeum. *Incorporeitas, inquit, nihil patitur, non habens, per quod pati possit: aut si habet, hoc erit corpus. In quantum enim omne corporale passibile est, in tantum quod passibile est, corporale est.* Quo argumento probat animam esse corpoream, quia passibilis est. 2. Lib. contra Praxeam, c. 29. In divinis Patrem, & Filium, quæ Deus est, esse impassibiles. Item Patrem esse impassibilem, quia impassibilis est. Nam sic, contra hæreticos Patrem impassibilem, & compassibilem asserentes differens, ait: *Stulti & in hoc. Quid est enim compati, quam cum alio pati? Porro si impassibilis Pater, utique & impassibilis. Aut si compassibilis, utique passibilis. Tam autem impassibilis Pater est, quam impassibilis etiam Filius, ex ea conditione, qua Deus est.* Ex his autem, Argumentor sic pro Tertulliano, Omne corpus propriè dictum, est passibile; & vicissim omne passibile est corpus propriè dictum, ex Tertulliano. Atqui ex eodem, Deus est impassibilis. Ergo ex Tertulliano, Deus non est corpus propriè dictum. Superest igitur, ut Tertullianus vel sibi ipse turpiter contradixerit, quod de tanto viro absque gravi fundamento nec dici, nec cogitari debet; vel senserit Deum esse corpus eo tantum sensu, quem suggerit S. Augustinus loco suprà laudato. Hinc ad mentem Tertulliani cum S. Augustino distinguere possumus duplex corpus, unum propriè dictum, alterum verò latè dictum. Corpus propriè dictum, est illud cujus partes aliæ majores, aliæ minores valent & debent cogitari. In hoc etiam sensu animam esse corpus sensit Tertullianus. Corpus latè dictum, est substantia, seu ens reale, per se realiter subsistens, quod quidem non habet partes alias majores, alias minores, realiter inter se distinctas, ex quibus constituitur, & integretur, quibusque ut instrumentis utatur ad exercendas operationes, quas natum est exercere; sed habet aliquid, potentias scilicet naturæ suæ convenientes, partibus illis, quarum aliæ majores sunt, aliæ minores, & ex quibus constat corpus propriè dictum, correspondentes, & seclusis imperfectionibus æquivalentes, per quas cum excellentia sibi connaturali exercet operationes, quæ analogiam quandam cum excessu tamen perfectionis habent cum operationibus, quas per membra sua exercet corpus propriè dictum. Hoc secundo sensu Deum esse corpus sensisse Tertullianum, suadet ipse Tertullianus, lib. 2. adversus Marcionem c. 16. ubi sic loquitur: *Stultissimi, qui de humanis divina prædicant,*

cant, ut quoniam in homine corruptoria conditionis habentur huiusmodi passiones, idcirco & in Deo eiusdem status existentur. Distingue substantias, & suos eis distribue sensus, tam diversos, quam substantie exigunt, licet vocabulis communicare videantur. Nam & dextram, & oculos, & pedes Dei legimus; nec ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur. Quanta erit diversitas divini corporis & humani sub eiusdem nominibus membrorum, tanta erit & animi divini & humani differentia sub eisdem licet vocabulis sensuum, quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas substantie humana, quam incorruptorios in Deo efficit incorruptibilitas substantie divine.

ARTICULUS III.

Utrum Deus sit bonus.

RESPONSIO I.

Deus est summè bonus bonitate absoluta. Ita S. Th. q. 6. a. 2. & prob. Bonum absolute idem est ac perfectum in se. Atqui Deus est summè perfectus. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam 1. Deus habet formaliter omnes omnino perfectiones simpliciter simplices, & consequenter habet virtualiter, æquivalenter, & eminenter omnes omnino perfectiones secundum quid. 2. Habet formaliter omnes omnino perfectiones simpliciter simplices modo perfectissimo, nempe per propriam substantiam, non per accidentia sibi superaddita, & cum summa necessitate illas habendi. 3. Habet illas omnes sine termino in gradibus intensio- nis. Ergo, &c. *Prob. ant.* Quia alioqui posset cogitari aliquid melius Deo. Deus autem est ens, quo nihil melius cogitari potest. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Deus est summè bonus bonitate relativa.

Prob. Bonum relative idem est ac conveniens & appetibile. Atqui Deus est summè conveniens & appetibilis. Ergo, &c. *Prob. min.* Summum bonum est summè conveniens & appetibile. Atqui Deus est summum bonum, ut patet ex resp. 1. Ergo, &c. Præterea, Deus est summè conveniens, 1. Creaturis omnibus, ut causa prima, & finis ultimus. 2. Beatis, tanquam objectum beatificans. 3. Sanctis, tanquam exemplar omnis iustitiæ & sanctitatis. 4. Iustis, tanquam amicus. 5. Pœnitentibus, tanquam author justificationis. Nam 1. optimum est rebus creatis omnibus habere pro fine ultimo ens supremum & præstantissimum; & sine Deo, tanquam primo rerum omnium principio, nihil esse potest: cūque Deus modo eminentissimo contineat in se omnes perfectiones creaturarum, summè natus est esse causa rerum omnium. 2. Deus, & quidem solus, potest perfectè satiare omnem appetitum rationalem creaturæ intellectualis. 3. Deus omnis iustitiæ & sanctitatis exemplar est præstantissimum & absolutissimum. Unde creatura rationalis eò sanctior est, quò magis in se iustitiam & sanctitatem divinam exprimit. Hinc ad exprimendam in nobis iustitiam & sanctitatem divinam excitamur, Lev. c. 11. *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Et Matth. c. 5. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* 4. Per divinam amicitiam creatura rationalis venit in bonorum divinorum communionem, quantum patitur creaturæ conditio. 5. Solus Deus, tanquam causa principalis, peccata remittere, & gratiam conferre potest. Ergo, &c.

RESPONSIO III.

Deus est summè bonus bonitate morali.

Prob. Bonum moraliter hic idem est ac sanctum. Atqui Deus est summè sanctus. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam habet, 1. infinitam impeccabilitatem, seu infinitam repugnantiam cum omni culpa, sive gravi, sive etiam levi. 2. Infinitam indefectibilitatem, seu infinitam repugnantiam cum omni commissione vel omissione, moraliter aliquo modo vituperabili, quamvis non peccaminosa. 3. Virtutes omnes morales, sine termino in

Simonnet Theol. Tom. I.

gradibus intensio- nis, simpliciter quidem simplices formaliter; virtualiter verò, æquivalenter, & eminenter cæteras. 4. Infinitam laudabilitatem moralem in omnibus omnino actibus suis liberis & moralibus, quatenus quidquid vult, aut non vult, vult, aut non vult propter bonitatem divinam infinitè, & quantum amabilis est, amatam. Ergo, &c. *Prob. ant.* Quia hæc omnia clarè continentur in idea entis, quo nihil melius esse & cogitari potest.

RESPONSIO IV.

Deus per essentiam bonus est omni bonitate, qua bonus est.

Ita S. Th. q. ead. a. 3. & prob. Bonum per essentiam dicitur illud, quod est bonum per se, & independentè ab omni alio. Atqui Deus sic bonus est omni bonitate, qua bonus est. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam si in aliqua ratione bonitatis dependet ab alio, vel dependet ab eo, tanquam à forma realiter superaddita, vel tanquam à causa efficiente, vel denique tanquam à causa adjuvante. Nihil horum dici potest. Non primum. Nam quidquid est Deus, est illud formaliter per suam substantiam: cum sit ens simplicissimum, & expers omnis compositionis realis, & repugnet illi omnis potentialitas & perfectibilitas physica. Non secundum. Nam cum omnes perfectiones, quas habet Deus, sint realiter ipsa substantia divina; & substantia divina, utpotè à se existens, non habeat causam efficientem; nulla perfectio divina habere potest causam efficientem. Non denique tertium. Cum enim modus operandi sequatur modum essendi, & Deus existat independentè ab omni alio; necesse est, illum etiam independentè ab omni alio actus suos vitales exercere posse.

Potèrò solus Deus sic bonus est per essentiam; cum creaturæ omnes non sint bonæ, nisi per participationem: omnem enim suam bonitatem accipiunt à Deo, & in tantum bonæ sunt, in quantum participant de bonitate divina, illis communicata per productionem, conservationem, & operationem divinam. Hec eleganter exprimit S. Augustinus, Ep. 54. ad Macedonium: *Deus singulariter bonus est, & hoc amittere non potest. Nullus enim boni participatione bonus est; quoniam bonum, quo bonus est, ipse sibi est. Homo autem cum bonus est, ab illo bonus est, quod à se ipso esse non potest. Illius enim spiritu bona sunt, cuius capax creata est natura per propriam voluntatem. Pertinet ergo ad nos, ut boni simus, accipere & habere quod dat, qui de suo bonus est.*

Hinc, ut interpretatur S. Thomas q. ead. a. 2. ad 2. dicitur à Christo, Luc. c. 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Quia solus Deus bonus est per essentiam, & ita solus sibi ipsi, & nulli alteri suam bonitatem debet. Audiamus adhuc hac de re S. Augustinum, enarratione in Psal. 134. *Bonus Dominus, sed bonus non ut sunt bona, que fecit... ille bono suo bonus est, non aliunde participato bono. Ille à se ipso bono bonus est, non adherendo alteri bono. Mihi autem adherere Deo bonum est, qui non eguit à quo fieri bonus, sed eguerunt illo cætera ut fierent bona. Vultis audire, quam singulariter ille sit bonus. Dominus interrogatus dixit: Nemo bonus, nisi solus unus Deus.*

ARTICULUS IV.

Utrum Deus sit infinitus, & quomodo.

RESPONSIO.

Deus est infinitus simpliciter, & in omni genere perfectionis.

Prob. 1. Ex Script. Nam dicitur Psal. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Et Psal. 146. *Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientie ejus non est numerus.* Quæ verba accipienda sunt in sensu obvio, & secundum rigorem terminorum; cum ab Ecclesia & Patribus ita accepta semper fuerint, eaque aliter accipiendi nulla sufficiens ratio afferri possit. Quia autem simpliciter & absque ulla restrictione asserunt Deum infinitum, manifestum

B

est

est ea intelligi debere de infinitudine simpliciter, & in omni genere perfectionis. Ergo, &c.

Prob. 2. Autoritate S. Augustini, ita loquentis de Deo, *Serm. 190. de tempore: Hoc est Deus, quod & cum dicitur, non potest dici: cum assumatur, non potest estimari: cum comparatur, non potest comparari: cum definitur, ipsa definitione decrevit.* Quæ verba aptari non possunt enti aliqua ratione finito, nec nisi frigide & nugatorie dici possunt, nisi de ente illimitato in omni genere perfectionis, ut per se clarum est.

Prob. 3. Ratione. Nam si Deus esset finitus ex aliqua parte, posset cogitari aliquid melius Deo: potest enim cogitari aliquid melius eo omni, quod non est illimitatum in omni genere perfectionis, ut patet ex terminis. Salum conf. Ergo, &c. Præterea, si Deus esset ex aliqua parte finitus, vel esset ab extrinseco, vel ab intrinseco. Neutrum dici potest. Non primum. Nam illud non potest limitari ab extrinseco, quod est planè independens ab omni alio. Talis autem est Deus, qui se ipso est, quidquid est, ut probavimus supra. Non etiam secundum. Nam si Deus limitatur ab intrinseco, certè ab essentia sua. Hoc autem dici non potest. Essentia enim divina est formalissimè a se, hoc est, supremus & nobilissimus modus existendi. At supremus modus existendi non potest esse ratio, cur Deus careat aliqua perfectione, quæ sit melior ipsa, quàm non ipsa, aut cur in aliqua perfectione careat aliquibus gradibus possibilitibus, ut per se manifestum est. Et verò quærenti, quare Deus non habeat aliquam perfectionem, non incompensabilem cum alia meliore, & quare non tantam habeat, quantum non repugnat haberi, non nisi insimul responderetur, quia Deus habet supremum & nobilissimum modum existendi, ex quibus sic arguimur adhuc. Illud ens est illimitatum in omni genere perfectionis, cuius essentia est supremus & nobilissimus modus existendi. Non enim habet, unde limitetur. Atqui supremus & nobilissimus modus existendi constituit formalissimè essentiam Dei: nam essentia Dei formalissimè nihil aliud est, quàm a se. Ergo, &c.

Obj. Si Deus est infinitus simpliciter, maximè quia superat maximum finitum. At hæc ratio nulla est. Nam maximum finitum repugnat. Item omnes creaturæ essent equaliter perfectæ, quia omnes equaliter distant à Deo. Item nullum prorsus esset malum. *R. ad 1.* Deum esse infinitum simpliciter, quia non habet finem in numero & intentione perfectionum. *R. ad 2.* Mensuram perfectionis creaturarum tumendam esse, non à distantia perfectionis divinæ, sed à pluribus, vel paucioribus gradibus perfectionis, quos creaturæ acceperunt à Deo. *R. ad 3.* Nullum prorsus malum esse, aut posse esse in Deo; nihilominus posse esse, & esse extra Deum multiplex malum, tum physicum, tum morale. Posset quidem Deus, etiam ex suppositione creaturarum existentium, impedire omne malum morale: posset enim, si vellet, impedire omnia peccata: non impedit tamen iustissimis de causis. *Neque enim Deus omnipotens, ut ait Augustinus in Enchiridio c. 11. rerum cui summa potestas, cum summè bonus sit, alio modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut beneficeret etiam de malo.*

ARTICULUS V.

Utrum Deus sit immensus.

Nota. Immensus est perfectio absoluta, æquivalens ubicationibus pluribus & pluribus in infinitum; vi cuius substantia apta est existere simul in locis pluribus & pluribus in infinitum, & in infinitis re ipsa existere, si re ipsa infinita darentur loca. Vel, si vis, immensus duo dicit, negationem scilicet termini in præsentia, quantum est ex se, & fundamentum huius negationis, nempe talem existendi modum substantiæ, ut quantum est ex se, & eodem prorsus modo permanens, præsens esse possit non solum omnibus locis existentibus, sed etiam possibilibus, etiam si infinitum multiplicentur. Qui modus existendi, cuius substantia est saltem virtualiter in infinitum diffusa, est

excellentiissima quædam perfectio, & melior ipsa, quàm non ipsa, ut per se patet.

RESPONSIO I.

Deus est immensus.

Prob. 1. Ex Conc. Later. IV. c. Firmiter, ubi dicitur: *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, æternus & immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis, & ineffabilis, &c.* 2. Ex Symbolo Athanasiano, ab Ecclesia receptissimo, ubi legitur: *Immensus Pater: Immensus Filius: Immensus Spiritus sanctus.* 3. Ratione. Quia Deus habet omnes omnino perfectiones, quas includit idea entis, quo nihil melius cogitari potest. Atqui immensitas includitur in hac idea: cum sit perfectio melior ipsa, quàm non ipsa: nullam enim à subiecto suo excludit perfectionem, quæ melior sit, aut æqualis. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Deus est præsens rebus omnibus creatis. S. Thom. q. 8. art. 1.

Prob. 1. Ex Script. Nam dicitur Psal. 138. *Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si superos pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextra tua.* Et Ierem. c. 66. *Hæc dicit Dominus: Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Et Jerem. c. 23. *Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus: Nunquid non cælum & terram ego impleo?* Et in Actibus Apostol. c. 17. *In ipso vivimus, & movemur, & sumus.* 2. Autoritate S. Augustini lib. 7. de Civ. Dei cap. 30. *Idem Deus, inquit, ubique totus, nullis inclusus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes scissilis, ex nulla parte mutabilis, implens cælum & terram præsentia potentia, non absente natura.*

Prob. 3. Ratione. Quia si Deus non esset præsens rebus omnibus creatis, non esset immensus, ut patet ex not. Conf. repugnat fidei. Ergo, &c. Præterea, Deus est intimè præsens, ubicumque operatur. Atqui operatur in omnibus rebus creatis, eas producendo & conservando. Ergo, &c. *Prob. mai.* Quia Deus operatur modo operandi perfectissimo, ubicumque operatur: cum sit agens perfectissimum. Atqui ad modum operandi perfectissimum requiritur intima præsentia causæ ad effectum. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam ad modum operandi perfectissimum requiritur maxima & maximè potens de se applicatio causæ ad effectum: eò enim causæ magis dominatur in effectu, quò magis & modo de se potentiori ei applicatur. Atqui hæc applicatio non fit, nisi per intimam præsentiam causæ ad effectum. Ergo, &c.

Obj. 1. Scripturæ passim inculcant Deum esse in cælo. *R.* Scripturæ hoc passim inculcare, non quia est in cælo tantum, sed quia est in cælo modo specialissimo, ratione scilicet præstantissimorum effectuum, quos ibi operatur.

Nota. Deus est specialiter in cælo per gloriam, quam beatis communicat, in iustis per gratiam, quam cordibus eorum infundit; in Christo per unionem hypostaticam, qua natura humana divinæ unitur; in Ecclesia per assistentiam, qua illam protegit. At est in rebus omnibus creatis per substantiam suam: quod est Deum rebus omnibus creatis esse propriè & simpliciter præsentem. *Est in omnibus, inquit S. Thomas q. 8. a. 3. in O. per potentiam, in quantum omnia ejus potestati subdantur. Est per præsentiam in omnibus, in quantum omnia nuda sunt & aperta oculis ejus. Est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus, ut causa essendi, hoc est, quia est omnibus causa essendi, Nam, ut ait S. Doctor a. 1. in O. Oportet omne agens conjungi ei in quod immediate agit, & sua virtute illud contingere. Unde cum Deus causet esse in omnibus rebus creatis, non solum quando primo esse incipiunt, sed quandiu in esse conservantur. Præterea, cum esse sit illud, quod est magis intimum cuilibet, & quod profundius omnibus inest, cum sit formale respectu omnium, quæ in re sunt; oportet quod*

quod Deus sit in omnibus rebus, & intime. Quæ ratio, saltem intellecta de eo, cui essentialiter convenit modus operandi perfectissimus, planè convincit, ut patet ex prob. 3.

Obj. 2. Si Deus rebus omnibus creatis præsens est intime, intime præsens est rebus quibuscumque scilicet. Atqui hoc Deum dedecet. Ergo, &c. R. n. min. Non enim magis dedecet Deum rebus illis intime præsentem esse, quam illas produxisse, & productas conservare. Nec Deus rebus illis inquinatur magis, quam lux inquinatur cæno, aut anima corpore leproso, cui intime præsens est. Itaque dedecet, quam vulgus suspicatur esse in eo, quod Deus sit intime præsens rebus quibuscumque, est merum figmentum errantis imaginationis, quam res illæ malè afficiunt, & lædunt, eò quod malè afficiant & lædant sensuum organa.

RESPONSIO III.

Deus est ubique. S. Thom. art. 2.

Prob. 1. Ex Scripturæ locis resp. 1. laudatis. 2. Ex S. Cypriano, de vanitate Idolorum. *Quod templum habere possit Deus, inquit, cuius templum totus est mundus? Unus est, & ubique totus diffusus est.* 3. Ex S. Augustino lib. 7. de Civ. Dei c. 30. *Idem Deus, inquit, ubique totus.* Et Epist. 57. ad Dardanum. *Substantialiter Deus, inquit, ubique diffusus.* 4. Ratione. Quia ille est ubique, qui est præsens rebus omnibus creatis: adest enim locis omnibus existentibus. Atqui Deus est præsens rebus omnibus creatis (ex resp. 2.) Ergo, &c. Præterea, si Deus non esset ubique, quomodo esset immensus? Nam sic argumentor. Immensus non potest non adesse locis omnibus existentibus, ut patet ex terminis. Atqui adesse locis omnibus existentibus, & esse ubique, convertuntur. Ergo immensus non potest non esse ubique. Sed

Nota. Esse ubique, & esse immensum, non convertuntur, nec habent eundem conceptum. Nam 1. esse ubique, est præcisè adesse locis omnibus existentibus. Esse verò immensum, est habere perfectionem absolutam, æquivalentem ubicationibus pluribus & pluribus in infinitum, seu talem existendi modum substantiæ suæ, ut, &c. 2. Deus ante creationem mundi erat immensus, & tamen non erat ubique, imò nullibi erat, quia tunc nullus existeret locus. Unde tantum erat in se, hoc est, tunc habebat realem & intrinsecam præsentiam, sed sine habitudine ad ullum locum, quia tunc nullus erat locus. *Ante omnia, inquit Tertullianus lib. adversus Præxam c. 5. Deus erat solus, ipse sibi & mundus, & locus, & omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum.* Tertullianum sequitur Augustinus Enarr. in Psal. 122. ubi hæc habet: *Antequam faceret Deus caelum & terram, ubi habitabat? In se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus.* 3. Destructo mundo, desineret Deus esse ubique, imò desineret esse ullibi, non quidem quia ipse mutaretur, aut aliquid perderet, sed quia mutarentur creaturæ, & esse perderent. Unde pergeret esse immensus. Hinc 4. Immensitas est attributum necessariò conveniens Deo necessitate absoluta. At esse ubique, non convenit illi necessariò, nisi ex hypothesei creaturarum existentium, quarum productio libera fuit Deo. Unde liberum fuit Deo habere, vel non habere denominationem existentis ubique. 5. Deus potest producere substantiam, quæ sit naturaliter ubique: quid enim producere posset creaturam tantæ perfectionis, ut naturaliter exigat esse præsens omnibus mundi partibus? At non potest producere substantiam immensam. Cum enim immensitas conveniat Deo propter supremum & perfectissimum gradum existendi, qui solus Dei est, non potest creaturis communicari.

Obj. 1. Si Deus esset ubique, esset divisibilis: esset enim extensus. Conseq. repugnat simplicitati divinæ. Ergo, &c. R. n. seq. maj. & ejus prob. Itaque Deus est ubique, sed indivisibiliter & incommensurabiliter: nec est extensus & diffusus formaliter, sed virtualiter tantum, quatenus præsens est locis omnibus existentibus per immensitatem suam, perinde ac si esset formaliter extensus & diffusus, seclusis tamen imperfectionibus, quibuscumque res formaliter

Simonnet Theol. Tom. I.

ter extensa & diffusa existit in loco. Nam Deus neque circumscriptivè, neque definitivè existit in loco: sic enim est in omnibus locis existentibus, ut sit etiam extra, ut probabitur; & totus est in singulis partibus locorum, non solum secundum substantiam, sed etiam secundum præsentiam, quia non solum tota substantia divina, sed etiam tota ejus immensitas est in singulis partibus loci, & immensitas Dei tam est indivisibilis, quam ejus substantia. Qui modus ineffabilis existendi in loco, soli Deo convenit. Nam v. g. anima rationalis ita est tota in singulis partibus corporis secundum substantiam, ut non sit tota secundum præsentiam. Desinens enim esse præsens uni parti, non hoc ipso desineret esse præsens aliis, & ita sublati una parte ejus præsentia, adhuc manerent alie. Unde præsentia animæ in corpore est suo modo divisibilis & commensurabilis. Quod dici non potest de præsentia Dei in locis existentibus. Quia si Deus desineret esse in uno loco, hoc ipso desineret esse in omnibus aliis: hoc ipso enim quod desineret esse in uno loco, desineret esse immensus, & hoc ipso quod desineret esse immensus, desineret simpliciter esse præsens: cum non sit præsens ulli loco, nisi per immensitatem suam. Deus igitur ubique totus est, & secundum substantiam, & secundum præsentiam seu immensitatem suam indivisibiliter & incommensurabiliter. Quo sensu sanè accipiendus est Augustinus in epistola ad Dardanum jam laudata, ubi hæc scribit: *Substantialiter Deus ubique diffusus. Sed sic est Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, & sine onere continens mundum. Non tamen per spatia locorum quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus, sed in solo caelo totus, & in sola terra totus, & in caelo & in terra totus solus, & nullo contentus loco, sed in se ipso ubique totus.*

Obj. 2. Denominatio existentis ubique, est perfectio in Deo. Atqui hæc denominatio est contingens. Ergo datur in Deo aliqua perfectio contingens. *Declaratur min.* Nam Deus non habebat denominationem existentis ubique, antequam mundum crearet; cepit illam habere, quando mundum creavit; & illam habere desineret, si mundum à se creatum destrueret. Unde sequitur Deum nunc habere aliquam perfectionem, quam non semper habuit, sed aliquando cepit habere, & sic nunc habet, ut posset eam amittere, & annihilatis creaturis amitteret. Quod immutabilitati divinæ, de qua Articulo sequenti, planè videtur repugnare.

R. dist. maj. Denominatio existentis ubique est perfectio in Deo, si sumatur secundum id, quod dicit intrinsecum Deo, C. maj. Si sumatur secundum id, quod dicit Deo extrinsecum, N. maj. & dist. min. Hæc denominatio est contingens, si sumatur secundum id, quod dicit extrinsecum Deo, C. min. Si sumatur secundum id, quod dicit intrinsecum, N. min. & conseq. Itaque denominatio existentis ubique, duo dicit: unum, quod est intrinsecum Deo, & est ejus immensitas, seu ejus substantia, prout æquivalere ubicationibus pluribus & pluribus in infinitum; vel si vis, prout, nostro modo loquendi, est quasi diffusa, & virtualiter extensa in infinitum. Unde fit, ut nihil possit producere, cui non sit intime præsens, & quod non sit in ipsa: alterum verò, quod est Deo extrinsecum, & est existentia creaturarum, sine qua Deus non posset denominari existens ubique. Nam si creaturæ non existerent, Deus nullibi esset, sed in seipso tantum, quia tunc nullus locus existeret, in quo esse posset. Primum est maxima perfectio, & maxime necessaria in Deo, quem perficit. Secundum non est perfectio in Deo: non enim perficitur Deus, producendo creaturas, sed perfectus est, quia potest eas producere; & verò cum Deus producit creaturam, nihil de novo recipit, quo perfici possit; quia productio creaturæ est actio transiens, qua proinde à producente non accipitur, sed datur aliqua perfectio, nempe realis entitas rei, quæ producitur. Sicut autem Deus producendo creaturam, nihil de novo recipit, quo perficiatur; ita creaturam destruendo, nullam faceret jacturam, qua deterioraretur. Unde ex eo, quod illud extrinsecum, quod denominatio existentis ubique dicit præter immensitatem

statem divinam, sit aliquid contingens, non arguitur in Deo mutabilitas, sed in creatura, quæ de se indifferens est, ut sit, vel non sit.

Dices. Ergo Deus constituitur ubique, partim per immensitatem suam, partim per creaturam existentem. Absurdum conf. Ergo, &c. R. n. seq. maj. Nam res constituitur in loco, non per locum ipsum, sed per ubicationem suam. At ubicatio Dei est ejus immensitas. Unde Deus per suam immensitatem, non per creaturam existentem etiam ex parte constituitur ubique; quamvis non constituarur, nisi ex suppositione creaturarum existentium, quia ubicatio non facit, sed supponit locum, in quo res locatur. Deus igitur adæquate constituitur ubique per suam immensitatem; & ita in Deo denominatio existentis ubique tota est ab immensitate divina, quæ se ipsa formalissimè est tota præsentia Dei in omnibus locis existentibus, quæ creato mundo, cœpit Deum denominare existentem ubique; non quia antè Deo deerat aliquid intrinsecum, ad hanc denominationem necessarium, sed quia deerat locus, in quo Deus præsens esse posset; quæ annihilato mundo, desineret Deum denominare existentem ubique, non quia tunc periret aliquid intrinsecum Deo, ad hanc denominationem necessarium, sed quia tunc desineret omnis locus, in quo præsens esse posset. Ex quibus facillè intelligitur, quomodo in Deo incipere potuit denominatio existentis ubique, & quomodo desinere posset, Deo ipso prorsus immutato, & cum sola mutatione creaturarum. Item quomodo denominatio existentis ubique non sit nova perfectio, distincta ab immensitate divina, & quomodo non ei superaddat nisi respectum quandam ad creaturas existentes, tanquam ad locum, cui substantia divina, eadem omnino permanens, non potest non esse intimè præsens, hoc ipso quòd existunt. Hic autem respectus non est realiter, nisi aggregatum ex loco & re locata, hoc est, ex creaturis existentibus, & substantia divina ab illis indistante, proindeque ex ea parte, qua Deo intrinsecus est, est ipsissima immensitas divina, seu divina substantia, quantum est ex se summè determinata, & potens ad existendum in omnibus locis possibilibus, & consequenter se ipsa intimè præsens loco, hoc ipso, quòd locus existit.

Dices. Imò Deus constituitur ubique per operationem, qua operatur ubique. R. n. Nam ut Deus sit ubique, requiritur quidem operatio, qua operatur ubique; quia ut Deus sit ubique, requiritur ut sit locus; & locus esse non potest sine operatione Dei; cum creatura non existant sine actione Dei eas producente, & conservante. At supposito quòd Deus operetur, producendo & conservando mundum, per solam suam immensitatem formaliter est in toto mundo; sicut antequam operaretur, producendo & conservando mundum, per solam suam immensitatem formaliter ibi erat, nostro modo loquendi, ubi nunc est mundus; erat, inquam, non tanquam in loco, cum nondum esset locus, sed in se ipso, quatenus habebat realem & intrinsecam præsentiam, sed sine habitudine ad ullum extrinsecum Deo; quia nihil extrinsecum Deo realiter existit ante operationem divinam.

RESPONSIO IV.

Deus est etiam extra cœlos.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam dicitur 3. Regum c. 8. *Si cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc?* Et Job c. 11. *Excelsior cœlo est... profundior inferno.* 2. Autoritate S. Augustini lib. 11. de Civ. c. 5. ubi de quibuldam Philosophis loquens, hæc habet: *An forte substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec distendant loco, sed de ea, sicut de Deo sentire dignum est, fatentur, incorporea præsentia ubique totam, à tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicituri, & uno tantum, atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatam? Non opinor eos in hac vaniloquia progressuros. Cum igitur unum mundum, ingenti quidem mole corporea, finium tamen, & loco suo determinatum, & operante Deo factum esse dicant, quod respondent de infinitis extra mundum locis, cur in eis ab opere Deus cesset, hoc sibi respondeant de infinitis ante mundum temporibus,*

cur in eis ab opere Deus cessaverit. Duo ergo sentit S. Doctor. 1. Deum esse etiam extra mundum, & contrariam sententiam esse falsam & absurdam. 2. Deum esse extra hunc mundum, quaquaversum quasi diffusum in infinitum, ita ut, nostro modo concipiendi & loquendi, Deus sit extra hunc mundum in spatiis majoribus & majoribus in infinitum, & absque termino, quamvis in illis nihil operetur, quatenus scilicet habet extra hunc mundum realem & intrinsecam præsentiam interminatam; vicijus, planè immotus, & immutatus in se, esset intimè præsens corporibus majoribus & majoribus in infinitum, si producerentur.

Prob. 3. Ratione. Quia si Deus non esset extra cœlos, quaquaversum quasi diffusus & extensus, haberet intrinsecam præsentiam finitam & limitatam, sicut habet mundus, nec majorem haberet, quam mundus. Nam intrinseca præsentia Dei, & intrinseca præsentia mundi iidem, ut ita loquar, terminis definitur, ut per se clarum est. Atqui intrinseca præsentia finita & limitata, manifestè repugnat immensitati divinæ. Unum enim negat alterum. Et verò quid est immensitas, nisi intrinseca præsentia interminata, quæ hoc ipso, quòd interminata est, æquivalat pluribus & pluribus in infinitum præsentis terminatis, potestque, eodem prorsus modo semper se habens, adesse pluribus & pluribus in infinitum locis realiter existentibus, & infinitis re ipsa adesset, si infinita existerent? Ergo Deus est extra mundum, quaquaversum quasi diffusus & extensus, & quidem infinite & interminatè. Quam conclusionem merito ait Suares videri sibi, esse de fide, quia scilicet videtur esse evidenter de conceptu immensitatis divinæ, quæ est de fide.

Obj. 1. Si Deus est etiam extra cœlos, vel ibi est per potentiam, vel per præsentiam, vel per substantiam. R. Deum non esse extra cœlos per potentiam, quia extra cœlos nihil operatur, neque per præsentiam, quia extra cœlos nihil est cognoscendum præter ipsum Deum; sed esse per substantiam, quatenus habet etiam extra cœlos realem & intrinsecam præsentiam, & quidem interminatam, quamvis sine habitudine ad locum, quia extra cœlos nullus est locus realis. Unde Deus extra cœlos est, non in loco, sed in se. Ex his apparet discrimen, quocum Deus est in mundo, & extra mundum. Est in mundo per præsentiam, potentiam, & substantiam; extra mundum verò per substantiam tantum. In mundo est in se, & in rebus creatis; extra mundum verò est in se tantum.

Obj. 2. Si Deus est etiam extra cœlos, est in spatiis imaginariis. Absurdum conf. Ergo, &c. R. dist. seq. maj. Est in spatiis imaginariis nostro modo concipiendi & loquendi, C. seq. maj. Realiter, & sicut est in hoc universo, N. seq. maj. Itaque Deus non est realiter in spatiis imaginariis, quia spatia imaginaria sunt merum ens rationis, quod tantum habet esse objectivè in intellectu fingente. Est tamen in illis æquivalenter, nostro modo concipiendi & loquendi. Quod ut intelligas,

Nota. Ex eo, quòd Deus habet extra cœlos realem & intrinsecam præsentiam interminatam, & potest extra cœlos producere corpora majora & majora in infinitum, quibus si producerentur, intimè adesset, quamvis in se prorsus immotus, & immutatus, adesset, inquam, formaliter per illam suam intrinsecam præsentiam interminabilem; intellectus noster sumit occasionem concipiendi ut existentem extra cœlos capacitatem continendi corpora per modum extensionis incorporea, & penetrabilis, quaquaversum in infinitum diffusa, in qua Deus adest, & operari potest plura & plura in infinitum. Unde spatia imaginaria sunt ens rationis fundarum, & quando concipimus, & dicimus Deum esse in spatiis imaginariis extra cœlos, imperfectè quidem concipimus, & loquimur, sed tamen concipimus & loquimur cum fundamento in re: quamvis enim Deus nec sit, nec possit esse realiter in spatiis imaginariis extra cœlos, quia nec datur, nec dari potest extra cœlos extensio illa incorporea, penetrabilis & interminata; tamen est in illis æquivalenter, nostro modo concipiendi & loquendi, quia propter intrinsecam suam præsentiam interminabilem extra cœlos, tam potest extra cœlos producere corpora

potiùs majora & maiora in infinitum, illisque, eodem prorsus modo permanens, intimè adesse, quàm si revera extra cœlos extensio incorporea, penetrabilis, & interminata existeret, in eaque tota Deus quasi diffusus & extensus esset.

ARTICULUS VI.

Utrum Deus sit immutabilis.

RESPONSIO.

DEUS est omnino immutabilis. S. Thomas q. 9. art. 1.

Prob. 1. Ex Scriptura, Nam dicitur Malach. c. 3. *Ego Dominus, & non mutor*, Num. c. 23. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut Filius hominis, ut mutetur*. Plal. 101. *Sicut operitorium mutabis eos (cœlos) & mutabuntur. Tu autem idem ipse es*. Et Jacobic. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Quæ verba Scripturæ generalia sunt, & generaliter accipienda. 2. Ex Symbolo Nicæno, ubi contra Arianos dicitur: *Eos autem, qui dicunt... vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia*.

Nota obiter. Arianos inter & Patres Ephesinos conveniebat, Deum esse prorsus immutabilem. Unde Ariani asseriebant Filium Dei esse mutabilem, quia volebant eum esse creaturam. E contra Ephesini Patres definiunt Filium Dei immutabilem esse, quia sentiunt eum esse Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri. 3. Ex Conc. Later. IV. c. Firmiter, ubi expressè definitur Deum esse incommutabilem. 4. Ex S. Augustino, lib. 5. de Trinitate c. 2. ubi probat esse maxime Deo convenire, quia Deus est omnino incommutabilis. *Et quis magis est, inquit, quàm ille, qui dixit famulo suo Moysi: Ego sum qui sum; & dices filiis Israel: Qui est, mihi sit me ad vos. Sed alia que dicuntur essentie sive substantie, capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna vel quantacunque mutatio. Deo autem aliquid ejusmodi accedere non potest, & ideo sola est incommutabilis substantia vel essentia, que Deus est, cui profecto ipsum esse, unde essentia nominata est, maxime ac verissime competit. Quod enim mutatur, non servat ipsum esse; & quod mutari potest, etiam si non mutetur, potest quod fuerat non esse: ac per hoc illud solum, quod non tantum non mutatur, verum etiam mutari omnino non potest, sine scrupulo occurrit, quod verissime dicatur esse.*

Prob. 4. Ratione. Quia immutabilitas est perfectio simpliciter simplex; & si Deus esset mutabilis, posset cogitari aliquid melius Deo. Præterea, si Deus mutari posset, vel posset secundum existentiam, vel secundum formam substantialem, vel secundum formas accidentales, vel secundum locum, vel secundum intellectum, vel denique secundum voluntatem. Atqui nihil horum dici potest. Non primum. Quia Deus habet summam necessitatem existendi, & ita transire non potest ab esse ad non esse. Non secundum. Quia Deus non est compositum substantiale; cum summa sit simplicitatis, cui omnis compositio realis repugnat. Non tertium. Quia Deus non est capax accidentium, ut dicit S. Augustinus loco proximè laudato: cum enim sit actus purissimus, ac proinde expers omnis potentialitatis & perfectibilitatis realis, se ipso, hoc est, sua simplicissima substantia est, quicquid est. Non quartum. Quia cum Deus sit immensus, & ita habeat intinsecam præsentiam interminatam, vi cuius, eodem semper modo se habens, summa necessitate adesse pluribus & pluribus in infinitum locis, si plura & plura in infinitum producerentur, non posset transire de loco in locum. Non quintum. Quia Deus est illimitatus in genere intelligentis: hoc enim est de conceptu entis, quo nihil melius cogitari potest: proindeque ab æterno & pro æterno summè completus & determinatus est, ad cognoscendum quicquid cognoscit, sive necessario, sive contingenter. Ergo, quicquid cognoscit, ab æterno, & pro æterno cognoscit uno & eodem actu planè invariabili.

Non denique sextum. Pro quo nota, Mutatio se-

Simonne Theol. Tom. I.

cundum voluntatem duplex est. Prima consistit in simplicis vicissitudine volitionum, quarum una alteri succedit sine ulla oppositione & contrarietate, ut cum modò unum, modò aliud objectum volo. Secunda consistit in successione volitionum inter se contrariarum, ut cum jam volo aliquid, quod antea nolebam in iisdem circumstantiis. Atqui neutra mutatio cadit in Deum. Ergo, &c. *Probatur subsumptum.* 1. Autoritate S. Augustini, lib. 12. Confess. c. 15. *Num dicetis, inquit, falsa esse, que mihi veritas voce forti in aurem interiorè dicit de vera æternitate creatoris, quod nequaquam ejus substantia per tempora varietur, nec ejus voluntas extra ejus substantiam sit? Unde non eum modo velle hoc, modo vel le illud, sed semel, & simul, & semper velle omnia, que vult; non iterum & iterum, neque nunc ista, nunc illa, nec velle postea quod nolebat, aut nolle quod prius volebat: quia talis voluntas mutabilis est, & omne mutabile æternum non est. Deus autem noster æternus est.* 2. Ratione, quam verbis laudatis suggerit S. Augustinus. Si voluntas divinà transire potest de uno actu ad alium, sive disparatum, sive contrarium, & ita potest mutari, substantia divinà mutabilis est. Nam voluntas divinà est realiter ipsa substantia divinà. Fallum conf. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam si substantia divinà mutabilis esset, æterna non esset: omne enim mutabile æternum non est. Fallum conf. Nam Deus noster æternus est. Quod autem assumit S. Doctor, nullum scilicet mutabile æternum esse, probatur ex eo, quòd illud solum æternum sit, quod habet summam necessitatem existendi, & summa existendi necessitas cadere non possit in rem variabilem: cum summa existendi necessitas conciliari non possit cum ulla imperfectione.

Præterea, vicissitudo volitionum vel fit cum oppositione & contrarietate actuum, vel non fit. Si primum: volens inconstans est, vel ignorans. Nam qui modò vult aliquid, quod antea nolebat, vel vult ob rationem antea ignoratam, aut saltem nunc melius cognitam, & talis ignorantia notam incurrit; vel vult sine ulla ratione de novo cognita, aut saltem melius cognita, & talis inconstantia reus est. Si secundum: volens non habet nisi limitatam facultatem cognoscendi & volendi: nam nos aliud & aliud successive volumus, quia multa simul cognoscere & velle non possumus. Atqui Deus neque ignorantia neque levitatis capax est, & habet illimitatam facultatem volendi, sicut & cognoscendi; proindeque ab æterno & pro æterno summè completus est ad simul volendum & nolendum, quicquid vult & non vult. Ergo, &c.

Obj. 1. Deus transit ab uno statu ad alterum: nam de non creante fit creans. Ergo mutatur. R. negando ant. Nam non transit ab uno statu ad alterum, nisi incipiat aliter se habere in se, quàm se habebat antea. Deus autem nunquam incipit aliter se habere in se, quàm antea se habebat. Præterea, omne quod transit ab uno statu ad alterum, movetur; *Et omne, quod movetur, ait S. Thom. art. citato in O. motu suo aliquid acquirit, & pertingit ad illud, ad quod prius non pertingebat.* Deus autem, cum sit infinitus, comprehendens in se omnem plenitudinem perfectionis totius esse, non potest aliquid acquirere, nec extendere se in aliquid, ad quod prius non pertingebat. Unde nullo modo sibi competit motus, nec proinde transitus ab uno statu ad alterum.

Ad prob. ant. R. dist. Deus de non creante fit creans, novam aliquam perfectionem acquirendo, & in se recipiendo, N. Præcisè dando aliquid, nempe esse creaturæ, C. Undè cum Deus de non creante fit creans, non ipse, sed creatura mutatur, nec ipse incipit aliter se habere in se, sed creatura; & ita tunc, non Deus, sed creatura transit ab uno statu ad alterum, minùs tamen propriè loquendo, nempe à non esse ad esse.

Dices. Creare est perfectio. Ergo cum de non creante Deus fit creans, acquirit novam perfectionem, quam non habebat antea, proindeque transit ab uno statu ad alterum, & mutatur. R. Creationem posse considerari dupliciter: respectivè scilicet ad Deum, & respectivè ad creaturam. Primo modo considerata, non est perfectio, sed actus perfectionis infinite, nempe omnipotentia, quæ actu suo non se ipsam, sed creaturam movet, &

B 3 ita

ita actu suo non se ipsam perficit, sed creaturam, movendo illam à non esse ad esse. Unde creatio secundo modo considerata, est motus, cuius terminus est aliqua perfectio acquirenda, non Deo, sed creaturæ: cum Deus per creationem ad nihil pertingat, ad quod antea non pertingebat, sed præcisè creaturam à non esse transferat ad esse. Unde creatio nec est perfectio, nec motus ad perfectionem, respectivè ad Deum: respectivè verò ad creaturam, non est quidem perfectio, sed motus ad perfectionem, nempe ad esse. Ex his apparet, non Deum, sed creaturam moveri & perfici per creationem; & ita cum Deus de non creante sit creans, non Deum, sed creaturam mutari.

Dices. Creatio est intrinseca Deo: nam cum Deus de non creante sit creans, sit realiter & intrinsecè creans. Ergo, &c. *R.* negando ant. Nam creatio est motus: motus autem non est in movente, sed in mobili. Unde creatio non in Deo, sed in creatura suo modo recipitur.

Ad prob. Ant. R. cum Deus de non creante sit creans, fieri verè & realiter creantem, quia tunc verè & realiter dat esse creaturæ; at non fieri intrinsecè creantem, quasi recipiat in se formam aliquam, per quam formaliter denominetur creans; nam nihil recipit: quanquam aliquo sensu dici possit intrinsecè creans, quando creat, quatenus dat esse creaturæ per virtutem sibi maximè intrinsecam, nempe omnipotentiam suam: quod ad rem presentem nihil attinet. Deus igitur eodem prorsus modo permanens incipit creare, & ita de non creante sit creans absque ulla sui mutatione. Quod autem hic dictum est de creatione, facile aptabitur cuilibet alteri actioni Dei ad extra.

Obj. 2. Deus potest acquirere novas denominationes relativas. Nam v. g. producto mundo, de non domino factus est dominus rerum omnium creaturarum. Ergo mutari potest. *R.* neg. conseq. Ratio negandi est, quia ut Deus novas illas denominationes relativas acquirat, necesse non est, ut fiat aliqua mutatio in substantia divina, acquirente scilicet novam aliquam perfectionem, quam antea non habebat, sed sufficit sola mutatio facta in creatura. Sic respondet S. Augustinus, lib. 5, de Trin. c. 16. ubi postquam exposuit difficultatem, quæ nobis objicitur, sic eam resolvit: *Nummus cum dicitur pretium, relativè dicitur, nec tamen mutatus est, cum esse coepit pretium; neque cum dicitur pignus, & si qua sunt similia. Si ergo nummus potest nulla sui mutatione toties dici relativè, ut neque cum incipit dici, neque cum desinit, aliquid in ejus natura vel forma, qua nummus est, mutationis fiat; quanto facilius de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, ut ita dicatur relativè aliquid ad creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantia Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturæ, ad quam dicitur?*

Deus itaque nulla sui mutatione novam denominationem relativam acquirat, putà denominationem domini, producta creatura; & producta creatura, hoc ipso Deo, eodem semper modo se habens in se, sit dominus creaturæ productæ; sicut destructa creatura, hoc ipso Deo, eodem semper modo se habens, desinit esse dominus creaturæ destructæ. Unde ut Deus acquirat denominationem domini, requiritur & sufficit, ut creatura transeat à non esse ad esse: sicut ad hoc ut hanc denominationem amittat, requiritur & sufficit, ut creatura transeat ab esse ad non esse. Ergo ut Deus acquirat, vel amittat denominationem relativam domini, requiritur & sufficit sola mutatio facta in creatura.

Nec dic Deum jus aliquod acquirere per productionem creaturæ, & illud amittere per ejus destructionem. Nam jus divinum in creaturam est summa potestas disponendi modo ceteris attributis divinis congruenti, de rebus quibuscumque creatis, ex hypothesi quod existant. Quæ potestas est perfectio increata, æterna, invariabilis, utpotè summa necessitate Deo conveniens, tanquam supremo Enti, & solam creaturarum possibilitatem supponens. Unde semper manet omnino eadem, sive creaturæ existant, sive non; nec quidquam ei additur per productionem creaturarum, sed tantum ponitur subiectum, in quod exerceri possit; sicut nec ei detrahatur

quidquam per creaturarum destructionem; sed tantum subiectum, in quod exerceri possit, tollitur.

At inquit. Denominatio relativa domini dicit aliquid supra jus illud æternum & invariabile. Non nisi perfectionem aliquam intrinsecam Deo, & ipsi advenientem, cum incipit esse dominus. Ergo mutatur, cum incipit esse dominus. *R.* denominationem relativam domini supra jus divinum in creaturam, nihil aliud dicere, quam habere subiectum, in quod jus illud exerceri possit. Hinc Deus, producta creatura, incipit esse dominus, quia incipit habere subiectum, in quod jus suum exercere potest; & destructa creatura, desinit esse dominus, quia desinit habere subiectum, in quod jus suum exercere potest. Incipit ergo & desinit esse dominus, nulla sui mutatione; quia incipit, nihil recipiendo, & desinit, nihil amittendo, sed sola creatura recipit, vel amittit esse; & ita Deus incipit, vel desinit esse dominus per solius creaturæ mutationem.

Porro Deus, sicut denominationes relativas, ita & absolutas acquirere potest, nulla sui mutatione. Sic de non homine fit homo, absque eo quod mutetur; quia cum de non homine fit homo, non recipit in se humanitatem, sicut subiectum recipit formam; nec ab humanitate informatur, sicut subiectum informatur à forma; sed nec unitur humanitati tanquam compars compati in ordine ad constituendum totum perfectius partibus, ex quibus constat. Fit enim homo, quia incipit esse suppositum humanitatis; & incipit esse suppositum humanitatis, quia incipit sustentare & terminare humanitatem. Quæ sustentatio & terminatio non est aliqua nova perfectio, neque motus ad novam perfectionem, quia Deus in se immutetur, & perficiatur; sed merum exercitium virtutis illius infinitæ, quam habet in ratione suppositi, & vi cuius, eodem prorsus modo in se permanens, potest suas facere naturas creatas, saltem rationales, plures & plures in infinitum. Sed de his aliis suis loco.

Obj. Deus habet cognitiones & volitiones contingentes, & liberas. Ergo mutari potest. *Resp. n.* conseq. Ratio est, quia Deus habet cognitiones & volitiones illas per unicam & simplicem tendentiam intellectus & voluntatis in objecta contingentia, realiter indistinctam ab intellectu & voluntate in objecta illa tendentibus modo planè divino, ut potè æterno, invariabili, & incapace successione, ignorantia, levitatis, & cujuscumque alterius imperfectioris.

Dices. Deus potuit habere alias cognitiones & volitiones. Ergo mutari potuit. *R.* dist. ant. Deus potuit habere alias intellectiones & volitiones per transitum ab una intellectione, vel volitione, ad aliam intellectionem, vel volitionem, disparatam scilicet, vel contrariam, N. ant. Nam non potuit alias habere, nisi ab æterno & pro æterno habendo illas. Sine tali transitu, C. ant. Sed N. conseq. Quia omnis mutatio dicit essentialiter terminum à quo transitur, & terminum ad quem transitur: unde definitur, Transitus ab uno ad aliud.

Dices. Deus aliàs, putà tempore Adami, cognovit incarnationem ut futuram, nunc verò cognoscit ut præteritam. Item nunc amat Petrum v. g. ut sanctum & beatum, quem aliàs odio habuit ut peccatorem. Ergo Deus potest habere alias cognitiones & volitiones per transitum ab una ad aliam. *R.* Deum uno & eodem realiter, & maximè simplici actu, ab æterno & pro æterno cognoscere incarnationem ut futuram pro eo tempore, pro quo futura est; ut presentem pro eo tempore, pro quo præsens est; ut præteritam pro eo tempore, pro quo præterita est: quia Deus ab æterno & pro æterno, actu unico, simplici, realiter invisibili, & invariabili, attingit omne cognoscibile secundum omnes suas differentias. Similiter Deus actu unico, simplici, invariabili, & realiter indivisibili, ab æterno & pro æterno odit Petrum pro eo tempore, pro quo injustus est; & eum diligit pro eo tempore, pro quo iustus est, & beatus: quia voluntas divina ab æterno & pro æterno tendit actu unico, simplici, invariabili, & realiter indivisibili in omnia objecta sua secundum omnes modos, secundum quos fertur in illa.

Dices. Ergo Deus nunc odit Petrum, qui iustus & beatus est. *R.* dist. Nunc odit Petrum simpliciter, N. Nam odiisse

odisse Petrum simpliciter, est cum odisse pro tempore presenti. Nunc odit Petrum secundum quid, nempe pro tempore praeterito, pro quo injustus fuit. C. At sic Deum odisse Petrum, non est, Deum odio habere, sed odio habuisse Petrum. Vel si vis, nihil aliud est, quam Deum habere nunc actum, quo alius odio habuit Petrum, quia injustus erat, & quo nunc amat Petrum, quia justus est; quod non est inconueniens.

ARTICULUS VII.

Utrum Deus sit aternus.

Nota 1. Aternitas multipliciter sumitur. 1. Latissimè, pro duratione utrimque terminata, sed longissima, quæ propter maximam amplitudinem aternitas dicitur. Sic non raro aternitas usurpatur in Scriptura. 2. Latius, pro duratione quæ caret fine, quamvis principium habuerit. Talis est duratio Angelis, animarum rationalis, & visionis beatificæ. 3. Minus strictè, pro duratione, quæ caret principio & fine, licet non habeat absolutam necessitatem. Hoc modo aterni sunt omnes & soli actus contingentes & liberi intellectus & voluntatis divinæ. 4. Denique strictè, pro duratione absolute necessaria, quæ caret principio & fine. De aternitate hoc ultimo modo accepta hic agitur.

Nota 2. Aternitas strictè dicta, communiter definitur: Duratio sine principio, sine fine, sine mutabilitate. Additur autem sine mutabilitate, non quod aternitas & immutabilitas sint idem planè conceptu, sed quia sic inter se connexæ sunt, ut ex immutabilitate, absoluta necessitate sequatur aternitas, & vicissim ex aternitate, absoluta necessitate inferatur immutabilitas. Nam si duratio possibilis est immutabilis, non potest transire à non esse ad esse, nec ab esse ad non esse, & ita absoluta necessitate semper est; alioqui simul possibilis & non possibilis erit. Similiter si duratio possibilis, absoluta necessitate semper est, impossibile est eam transire à non esse ad esse, sicut nec ab esse ad non esse, & sic est planè immutabilis. Reddè igitur aternitas à S. Thoma, q. 10. a. 1. definitur post Boetium, Interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Dicitur 1. possessio, ad designandam ejus immutabilitatem & indeficientiam. Quod enim possidet, firmiter & quietè habetur, ut ait S. Tho. ad 6. Quid autem firmius & quietius habetur, quam id quod nec mutari, nec deficere potest? Dicitur 2. tota simul, quia non habet partes, quarum una fiat post aliam, sicut habet tempus, quod proinde repugnat esse totum simul. Dicitur 3. perfecta, ad excludendum ab ea nunc temporis, quod est imperfectum. Nunc enim temporis, non est totum tempus, sed tantum ejus pars. Nunc verò aternitatis, est tota aternitas, in qua non est praeteritum, nec futurum, sed tantum nunc. Præterea, nunc temporis transit, nunc verò aternitatis permanet. Nam in tempore crastinum nunc, diversum est ab hodierno nunc: in aternitate verò, in qua nulla est successio, hodiernum nunc, idem planè est cum crastino nunc. Dicitur 4. vitæ, quia aternitas non potest esse, nisi rei viventis: supremus enim & perfectissimus gradus existendi non potest esse, nisi substantie intelligentis. Intelligere autem est vivere. Dicitur 5. interminabilis, quia caret principio & fine. Vide S. Thomam toto articulo citato.

Nota 3. Aternitas sic caret formali amplitudine, posita in fluxu partium sibi succedentium, ut habeat virtualem infinitam, quatenus ob carentiam principii & finis æquivalat tempori infinito, habenti partes ab aeterno & in aeterno sibi succedentes; æquivaler, inquam, in ordine ad coexistendum temporibus finitis pluribus & pluribus, & rebus creatis sibi succedentibus, pluribus & pluribus in infinitum. Hinc res creatæ, ex eo quod eadem aternitati coexistant, quando existunt, non possunt dici simul existere in aternitate, & simul esse præsentibus Deo ab aeterno: quia non coexistunt aternitati secundum totam ejus virtualem amplitudinem, sed tantum secundum aliquam hujus amplitudinis partem, correspondentem tali differentie temporis, quam aterni-

tas secundum alias ejusdem amplitudinis partes, virtualiter elapsas, infinite præcessit, & infinite excedet, secundum alias, virtualiter elapsuras. Hinc etiam sumimus occasionem imaginandi plura & plura in infinitum tempora jam elapsa, & plura & plura in infinitum elapsura, & dicendi Deum jam durasse & duraturum temporibus infinitis, quia si infinita tempora jam existerent, Deus illis coexistisset; & si infinita adhuc exitura essent, Deus adhuc illis coexistiturus esset, propter virtualem aternitatis suæ amplitudinem ex omni parte illimitatam. His prænotatis, fit.

RESPONSIO.

Deus est aternus. S. Th. q. 10. a. 2.

Prob. 1. Ex Scriptura. Plal. 89. dicitur: *Præus quam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à sæculo & usque in sæculum tu es Deus.* 2. Ex Conc. Nicæno in fine Symboli, ubi anathematizantur, qui negant Verbi aternitatem: *Eos autem qui dicunt, Erat aliquando, quando non erat... anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.* 3. Ex Conc. Later. IV. cap. Firmiter, verbis jam laudatis supra. 4. Ex Symbolo Athanas. ubi dicitur: *Aternus Pater, aternus Filius, &c.* 5. Ex S. Augustino, lib. 12. Confess. c. 15. *Deus noster, inquit, aternus est.* Et lib. de Natura boni contra Manichæos c. 1. sic ait: *Summum bonum, quo superius non est, Deus est. Ac per hoc incommutabile bonum est, & ideo verè aternum, & verè immortale.* 6. Ratione, quam suggerit S. Augustinus verbis proximè laudatis. Illud est aternum, quod est possibile & immutabile. Atqui Deus est ens possibile & immutabile. Ergo est ens aternum. Minor jam non habet difficultatem. Nam 1. quod Deus sit ens possibile, patet ex demonstrationibus existentie divinæ. 2. Quod sit ens immutabile, Art. 6. demonstratum est. Præterea, immutabilitas evidenter est de ratione summi boni, quo superius non est, & Deus est illud bonum. *Prob. ergo maj.* quia ens immutabile, 1. ex hypothesi quod existat, neque principium habere potuit, neque finem habere potest: alioqui non est immutabile; quia si principium habere potuit, potuit transire à non esse ad esse; & si finem habere potest, potest transire ab esse ad non esse. 2. ex hypothesi, quod sit possibile, existit: alioqui non est possibile: nam si non existit, non potest existere; quia si non existit, non potest existere, nisi transeundo à non esse ad esse: non potest autem transire à non esse ad esse, cum sit immobile. Ergo ens possibile simul & immutabile, absoluta necessitate existit sine principio & fine. Ergo aternum est. Hac ratione utitur etiam S. Thomas art. citato in O. ubi sic loquitur: *Ratio aternitatis consequitur immutabilitatem... unde cum Deus sit maxime immutabilis, sibi maxime competit esse aternum.*

Prob. 7. Ratione à priori. Illud ens est aternum, quod est ens à se. Atqui Deus est ens à se. Ergo, &c. Minor constat ex dictis suo loco. *Prob. maj.* Illud ens est aternum, quod habet summam necessitatem existendi. Atqui ens à se habet summam necessitatem existendi. Ergo, &c. Minor patet ex terminis. Nam quod habet plenissimam sufficientiam ad existendum independentem ab omni causa producente, vel conservante, summa necessitate existit. *Prob. ergo maj.* Illud ens est aternum, quod summa necessitate caret principio & fine. Atqui quod habet summam necessitatem existendi, summa necessitate caret principio & fine. Ergo, &c. Major patet ex definitione aternitatis. Minor verò clara est ex ipsis terminis. Et verò quod potest habere principium, vel finem suæ existentie, tale est, ut repugnet illud summa necessitate existere. Vides in Deo immutabilitatem & aternitatem ex eodem fonte profuere, nempe ex aeternitate divina, sive ambæ immediatè profuant, sive una non profuat, nisi mediante alia, secundum modum nostrum concipiendi. Deus enim est & immutabilis & aternus, quia est ens à se, sive sit æquè primò aternus & immutabilis, quia est ens à se, sive sit aternus, quia est immutabilis; & immutabilis, quia est ens à se, secundum nostrum concipiendi modum.

ARTICULUS VIII.

Utrum Deus sit omnipotens.

NOta ex S. Thoma hic q. 25. a. 1. in O. Duplex est potentia, passiva scilicet & activa. Potentia passiva est in ente capacitas recipiendi perfectionem aliquam, vel per actionem propriam, vel per actionem alterius agentis in ipsum. Unde quod habet potentiam passivam, qua tale imperfectum est: caret enim aliqua perfectione, cuius capax est. Item perfectibile est, cum possit acquirere novam aliquam perfectionem, qua nunc est perfici. Item mutabile est, quia potest moveri, & per motum pertinere ad aliquid intrinsecum, ad quod non pertinebat antea. Hinc ex pluribus capitibus repugnat Deo potentia passiva: est enim, ut dicit S. Thom. loc. citato, *actus purus, & simpliciter & universaliter perfectus*. Est etiam summe incommutabilis, & ita est incapax omnis motus, novaeque perfectionis acquirendae, ac proinde omnis potentialitatis & perfectibilitatis expers.

Potentia activa subdividitur in activam ad intra, & activam ad extra. Potentia activa ad intra dicitur ea, quae producit, vel producere potest terminum immanentem principio producenti; quia aut in eo recipitur ut forma in subiecto, aut cum eo ejusdem est numero substantiae. Dari ejusmodi potentiam activam in Deo, probat trinitas personarum divinarum, quarum prima generat secundam; item prima & secunda spirant tertiam; sic tamen, ut una sit & eadem numero substantia trium personarum. Unde secunda dicitur immanere primae, à qua generatur, & tertia immanere primae & secundae, à quibus spiratur. Potentia activa ad extra est ea, quae producere potest terminum, principio producenti extraneum, & ab eo distinctum realiter secundum naturam, quatenus naturam habet vel numericè, vel etiam specificè diversam. De potentia autem hoc secundo modo activa hic agitur, & queritur utrum sit, & quanta sit in Deo?

RESPONSIO I.

In Deo est vera & propriè dicta potentia activa.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam dicitur Paralip. lib. 1. c. 29. *Tu dominaris omnium. In manu tua virtus & potentia*, Et Plal. 105. *Quis loquetur potentias Domini?* Et Job. c. 13. *Contra solum, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam.* 2. Ex S. Thoma art. citato in O. ubi ita loquitur: *Duplex est potentia: scilicet passiva, qua nullo modo est in Deo; & activa, quam oportet in Deo summe ponere. Manifestum est enim, quod unumquodque secundum quod est actu & perfectum, secundum hoc est principium activum alicujus... Deus autem est purus actus, & simpliciter & universaliter perfectus... Unde sibi maxime competit esse principium activum.* 3. Ratione. Nam 1. potentia agendi ad extra est perfectio. Ut enim ait S. Doctor, *unumquodque secundum quod est actu & perfectum, secundum hoc est principium activum alterius.* Et verò, ut dicit adhuc idem Doctor Angelicus, sicut imperfecti & deficientis ut sic est pati: *Patiatur, inquit, unumquodque secundum quod est deficiens & imperfectum; ita & perfecti ac valentis ut sic est agere.* 2. Potentia agendi ad extra, seclusis imperfectionibus quibuscum reperitur in rebus creatis, est perfectio simpliciter simplex, quia est melior ipsa, quam non ipsa: neque enim à subiecto suo excludit aliam perfectionem meliorem, aut æqualem. Atqui omnes omnino perfectiones simpliciter simplices reperiuntur in Deo formaliter: cum sit ens, quo nihil melius cogitari potest. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Potentia agendi ad extra in Deo est intensivè infinita.

Prob. Illud est intensivè infinitum, quod est infinitè simpliciter excellentiæ & eminentiæ in suo genere. Atqui talis est in Deo potentia agendi ad extra. Ergo, &c. Major patet. *Prob. min.* Potentia agendi ad extra in Deo proportionatur essentiæ divinæ: nam essentiam divinam consequitur ut ejus proprietas. Atqui essentia divina est infinitè simpliciter excellentiæ & eminentiæ in

ratione essentiæ. Ergo, &c. Similiter potentia agendi ad extra in Deo est infinitè simpliciter excellentiæ & eminentiæ in ratione potentiæ activæ. *Prob. min.* Nam essentia supremi entis non potest non habere infinitam simpliciter excellentiam & eminentiam in sua ratione. Necessè enim est supremum ens per id infinitè simpliciter excellere & eminere omnibus aliis entibus, per quod primo constituitur, & distinguitur ab omnibus aliis entibus. Præterea, illud habet infinitam simpliciter excellentiam & eminentiam in sua ratione, quod constituit supremum & perfectissimum gradum existendi. Atqui essentia divina constituit supremum & perfectissimum gradum existendi, nempe gradum existendi à se. Ergo, &c. Ex his.

Confirm. Resp. Essentia divina est infinitè simpliciter excellentiæ & eminentiæ in ratione essentiæ. Ergo & potentia agendi ad extra in Deo in ratione potentiæ. Conseq. probatur. Essentia divina est infinitè simpliciter excellentiæ & eminentiæ, quia est planè independens in existendo: nam omnibus aliis essentis possibilibus infinitè simpliciter excellit & eminet, quia est existentià à se, sive quia est plenissima sufficientia ad existendum. Atqui potentia agendi ad extra in Deo est pariter independens in operando. Nam si Deus est independens in essendo, est etiam independens in operando. Modus enim operandi saltem quoad hoc sequitur modum essendi. Et verò qui fieri posset, ut ens, quod sibi sufficit ad existendum, non sibi sufficeret ad operandum? Ergo potentia agendi ad extra in Deo est pariter infinitè simpliciter excellentiæ & eminentiæ in ratione potentiæ. Tam enim est excellens in ratione potentiæ, independenter agere, quam excellens est in ratione essentiæ, independenter esse.

RESPONSIO III.

Potentia agendi ad extra in Deo, est etiam extensivè infinita.

Prob. Potentia extensivè infinita dicitur, quæ non habet terminum in effectibus ab ipsa producibilibus. Atqui talis est in Deo potentia agendi ad extra. Ergo, &c. *Prob. min.* Illa potentia non habet terminum in effectibus, ad quos se extendere potest, quæ potest sive successivè, sive etiam simul & eodem tempore producere effectus non solum plures & plures in infinitum intra eandem speciem, & solo numero differentes, sed etiam sive accidentaliter, sive specificè perfectiores & perfectiores in infinitum. Atqui hæc omnia potest potentia activa Dei: cum sit intensivè infinita, & tantum excellat omnibus potentiis creatis possibilibus, quantum essentia divina excellit omnibus essentis creatis, quæ possibiles sunt; & ita sicut essentia divina excellentia sua superat essentias creatas possibiles, perfectiores & perfectiores in infinitum, ita potentia activa Dei potentias creatas possibiles, perfectiores & perfectiores in infinitum superat excellentia & eminentia sua. Talis autem potentia manifestè plus potest, quam possent potentiæ creatæ, non solum plures & plures in infinitum intra eandem speciem, sed etiam perfectiores & perfectiores in infinitum, sive accidentaliter, sive substantialiter. Ergo, &c.

Dices. Potentia agendi ad extra in Deo non est infinita in genere entis. Ergo non continet eminenter omnes effectus possibiles. Ergo non est infinita. R. Potentiam agendi ad extra in Deo posse sumi dupliciter; realiter scilicet, & præcisivè. Sumpta realiter est infinita in genere entis; nam sic sumpta est ipsa substantia divina, quæ est Deo forma operandi ad extra. Unde sumpta realiter, omnes effectus possibiles continet eminenter. Potentia agendi ad extra in Deo, sumpta præcisivè, non est tota substantia divina, sed solum pars virtualis illius: est enim tantum unum attributum divinum nostro modo concipiendi fluens vel immediatè, vel saltem mediatè ab aeternitate: cum substantia divina sit collectio omnium attributorum divinarum. Unde potentia agendi ad extra in Deo præcisivè sumpta, non est infinita in genere entis, sed solum pars virtualis hujus infinitudinis. Est tamen infinita tum intensivè tum extensivè in genere potentiæ, quia est infinitè excellentiæ propter suam independenciam, & se extendit ad omnes omnino effectus possibiles. Ad quod non requiritur, ut in illo statu præcisivo, in quo

quo est, contineat illos eminenter; sed sufficit ut nostro modo concipiendi suat ab hac continentia eminentiali, quæ reperitur in eodem subjecto: nisi tamen quis malit dicere, continentiam eminentialem effectus, & potentiam producendi effectum, differre inter se voce tenus. Tunc enim potentia operandi ad extra in Deo erit etiam in sensu præcisivo continentia eminentialis omnium omnino effectuum possibilium.

Ex his sic argumentor breviter. Potentia agendi ad extra in Deo, etiam præcisive sumpta, vel est continentia eminentialis omnium effectuum possibilium; vel nostro concipiendi modo suat ab illa; vel denique cum illa in eodem subjecto conjuncta est, fluens æque primò ex communi fonte, nempe ex aseitare. Ergo etiam præcisive sumpta, extendit se ad omnes effectus posibles. Ad hoc enim planè sufficit, ut agens, cujus est hæc potentia, revera eminenter contineat omnes effectus posibles.

Dices iterum. Deus non potest producere effectum infinitum. Item potentia Dei exceditur ab ejus scientia: nam Deus plura cognoscit, quam potest facere. Ergo potentia agendi ad extra, quam habet Deus, non est infinita. *R.* negando consequens. Nam 1. licet Deus non possit producere effectum infinitum, quia effectus infinitus est chymera, & ad chimeram non potest dari vera potentia; at producere potest effectus finitos plures & plures, ac perfectiores & perfectiores in infinitum, quod cadere non potest in potentiam finitam. 2. Scientia Dei non excedit ejus potentiam intrinsicè; quia in Deo potentia agendi ad extra tantam habet excellentiam & eminentiam, quantum habet scientia; & sicut scientia extenditur ad omnia scibilia, ita potentia extenditur ad omnia possibilia, seclusis imperfectionibus: quamvis scibilia plura sint respectu Dei, quam possibilia, & ita objectum scientiæ divinæ quoad numerum excedat objectum potentiæ, quod non restringit potentiam divinam: nam posse facere mala, est potius impotentia, quam potentia; vel si vis, non est potentia, nisi cum addito diminutive, nempe potentia defectibilis. Unde non posse facere mala, non est impotentia provenit in Deo, sed ex potentiæ excellentia & eminentia.

RESPONSIO IV.

Deus est omnipotens. S. Th. q. 25. a. 3.

Prob. 1. Ex Script. Genes. c. 17. dicitur: *Ego Deus omnipotens.* Et Matth. c. 19. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* 2. Ex Symbolo Apostolico & Nicæno, in quibus profiteamur nos credere in Deum Patrem omnipotentem. 3. Ex Symbolo Athan. ubi dicitur: *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, &c.* 4. Ex S. Augustino, lib. 26. contra Faustum c. 5. *Ille planè, inquit, omnipotens verè solus dicitur, qui verè est, & a quo solo est, quidquid aliquo modo est, vel spirituale, vel corporale.* Deus autem verè est præ ceteris rebus omnibus existentibus, quia est à se, & cum summa necessitate essendi, & ipse solus, ut fides docet, rerum omnium, sive spiritualium sive corporearum, creator est. Est autem omnipotens, ut subdit S. Doctor, quia *universa creatura sua utitur ut ei placet*: hoc enim sufficientissimum omnipotentia indicium est. Idem omnipotentia divinæ argumentum affert S. Doctor, in Enchiridio c. 96. ubi de Deo loquens hæc habet: *Cui proculdubio quàm facile est, quod vult, facere; tam facile est, quod non vult, esse non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium, quia nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud (signum videlicet) vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult, potest, nec voluntate cujuspiam creature voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

Prob. 2. Ratione. Quia illud agens rectè dicitur, & est omnipotens, quod potest facere illud omne, quod non implicat contradictionem, & fieri potest absque ullo defectu operantis. Quid enim amplius requiras ad rationem omnipotentia? Atqui Deus potest, quidquid non implicat contradictionem; nec, ut sit, requirit imperfectionem, & defectum in operante. Nam hoc

posse est perfectio melior ipsa, quam non ipsa, & manifestè includitur in idea entis, quo nihil melius esse & cogitari potest. Et verò si Deus non posset aliquid, cui non repugnat esse absque ullo defectu agentis, facile cogitaretur aliquid melius Deo, illud nimirum quod præter alia omnia, quæ potest Deus, posset etiam illud, quod Deus non posset, & nullam tamen in sua causa imperfectionem, nullum defectum exigeret. Præterea, si Deus non potest, quidquid non implicat contradictionem, ut sit, & potest esse sine ullo defectu agentis, non potest simpliciter de eo dici, quod universa creatura sua utatur, ut ei placet, quod quidquid vult, potest; quod nullius creature voluntate, voluntatis divinæ impediri possit effectus. Atqui hoc manifestè repugnat non solum authoritati S. Augustini, sed etiam Scripturis, & ideæ supremi entis, ac rerum omnium factoris. Ergo, &c.

Dices. Deus non potest facere, ut præterita non fuerint. Item non potest peccare. Ergo non est omnipotens. *R. n.* conseq. Nam 1. præteritum esse & non fuisse implicat contradictionem. Sic implicat contradictionem, Socratem sedisse & non sedisse, sicut contradictionem implicat, Socratem sedere & non sedere. Unde posse facere, ut præterita non fuerint, non est de ratione omnipotentia, ad quam planè sufficit potentia faciendi illud omne, cui non repugnat esse absque ullo defectu operantis; nec extendi potest ad ea, quæ contradictionem involvunt: cum ad talia non detur vera potentia, non propter defectum virtutis in agente, sed propter intrinsecam eorum ineptitudinem ad essendum. *Ea, inquit S. Thomas in O, qua contradictionem implicant, sub divina omnipotentia non continentur, quia non possunt habere possibilitatem rationem. Unde convenientius dicitur, quod ea non possunt fieri, quàm Deus ea non possit facere.* 2. Cum peccare sit deficere, & contra rationem omnipotentia sit, quod sit potentia defectibilis; ad hoc ut Deus sit omnipotens, non requiritur, ut possit; imò verò requiritur, ut non possit peccare. *Peccare, inquit S. Thomas ad 2. est deficere à perfecta ratione. Unde posse peccare est posse deficere in agendo, quod repugnat omnipotentia. Et propter hoc Deus peccare non potest, quia est omnipotens.*

Quæres 1. Utrum Deus possit facere plura, vel alia, quàm re ipsa facit.

Nota. Duplex distingui potest in Deo potentia: una absoluta, & altera ordinaria, seu ordinata. Potentia absoluta est potentia secundum se præcisè considerata, & consequenter, ut soluta ab omni lege, seu decreto divino, quo applicetur & alligetur ad certum ordinem rerum. Potentia ordinaria seu ordinata, est eadem potentia, ut conjuncta voluntati divinæ, & quasi alligata decreto divino, à quo applicatur & determinatur ad certarum rerum executionem. Hoc præsupposito,

R. Deum non posse potentia ordinaria plura vel alia facere, quàm facit; at posse potentia absoluta.

Prob. 1. pars. Ut Deus possit potentia ordinaria plura vel alia facere, quàm facit, requiritur ut possit vel mutare decretum, vel contra illud agere. Nam si neutrum potest, non potest alia exequi, quàm quæ ab æterno decrevit; non potest, inquam, non propter defectum virtutis ad agendum alia, sed propter immobilitatem & efficaciam voluntatis divinæ, sine cujus imperio & applicatione impossibile est potentiam divinam quidquam exequi. Atqui neutrum potest Deus. Non primum. Alioqui cadit in Deum ignorantia, vel levitas. Non secundum: quia repugnat Deum agere, nisi quod vult agere. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Nam, ut probatum est, potentia agendi ad extra in Deo, est extensive infinita, & consequenter valet ad plura & plura, ac perfectiora & perfectiora in infinitum. Item Deus est omnipotens, & consequenter potest id omne, cui non repugnat esse absque defectu in agente. Iis autem rebus, quas Deus facit, comprehendere id omne, cui non repugnat esse absque defectu in agente, nugatorium est, & manifestè falsum. Cum enim omnis creatura sit quædam imitatio ac participatio perfectionis divinæ, necesse est crea-

est creaturas plures & plures, ac perfectiores & perfectiores in infinitum esse possibiles. Quia cum perfectio divina sit infinita simpliciter, & in genere entis, potest plus & plus, ac perfectius & perfectius in infinitum participari. Vide S. Th. art. 5.

Quæres 2. Utrum Deus ea, quæ facit, possit facere meliora tam substantialiter, quam accidentaliter.

R. Non posse facere meliora substantialiter, quia essentia rerum consistunt in indivisibili: unde nihil illis addi, nihil detrahi potest: ac posse facere meliora accidentaliter: nam v. g. hominibus & Angelis posset conferre plura & maiora dona supernaturalia, quibus accidentaliter perficerentur. Sunt tamen quadam creatura, quæ in aliquo genere non possunt fieri meliores. Sic humanitas Christi non potest uniri meliori personæ; B. Virgo non potest esse mater melioris filii, &c. Vide S. Th. a. 6.

DISPUTATIO V.

De Invisibilitate Dei.

ARTICULUS I.

Utrum possibile sit Deum videri visione corporea.

RESPONSIO.

Impossibile est Deum videri visione corporea. S. Th. q. 12. a. 3.

Prob. contra Antropomorphitas, 1. Autoritate S. Augustini. Nam Epist. 6. quæ est ad Italicam viduam, docet Deum esse quidem lucem, sed quæ solis oculis mentis purgatæ, nullatenus verò oculis corporis percipi potest. Unde in altera vita, ubi mentes erunt purgatæ, videbitur Deus oculis mentium, quamvis illis in hac vita, in qua mentes nondum purgatæ sunt, nec videatur, nec videri possit. At neque in hac, neque in altera vita eum videre possunt oculi corporis. *Deus lux est, inquit, sed lux mentium purgarum, non istorum corporis oculorum.* Erit ergo tunc (in celo) mens idonea, quæ illam lucem videat, quod nunc videndum non est. Hoc autem oculis videre corporis neque nunc potest, neque tunc poterit. Sic autem, ut huius impossibilitatis rationem reddat, prosequitur: *Omne quippe quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est, nec ubique sit totum, sed minore sui parte minorem locum occupet, & maiore maiorem.* Non ita est Deus invisibilis & incorruptibilis, qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest. Per hoc enim videri ab homine non potest, per quod videt homo corporeus corporea.

Ex quibus argumentor sic, ad mentem S. Doctoris. Tam impossibile est Deum videri oculo corporis, quam impossibile est eum non esse ubique totum, & ita esse in loco, ut una sui parte minorem minorem, maiore verò maiorem loci partem occupet. Atqui hoc absolute impossibile est, ut patet ex dictis de immensitate & simplicitate divina. Ergo absolute impossibile est Deum videri oculo corporis. Unde Deus tam est invisibilis oculo corporeo, quam incorruptibilis est; & eatenus lucem inhabitat homini omnino inaccessibilem, quatenus illum homo videre omnino non potest per organum corporeum, per quod non nisi corpora, & formaliter in loco extensa, atque diversis loci partibus secundum diversas sui partes correspondentia, percipere potest.

Præterea, Deum tam invisibilem esse organo corporeo, quam incorruptibilem, docet expressè S. Augustinus, epist. 112. ad Paulinam, Nam in ea hæc habet: *Sicut videntur ista, quæ visibilia nominantur, Deum nemo vidit unquam, nec videri potest, quoniam lucem habitat inaccessibilem, & est natura invisibilis, sicut incorruptibilis, quæ contextim posuit Apostolus dicens: Regi autem seculorum invisibili, incorruptibili: quia sicut nunc incorruptibilis, nec postea corruptibilis, ita non solum nunc, sed etiam semper invisibilis.* Igitur secundum mentem S. Augustini, tam impossibile est Deum videri oculo corporis, quam impossibile est

eum corrumpi; & interprete S. Augustino; hæc est mens Apostoli, cum ait, *Regi autem seculorum invisibili, incorruptibili.* Atqui absolute impossibile est Deum corrumpi. Ergo, &c. Et verò secundum S. Augustini principia, invisibile & incorruptibile convertuntur in substantiis. Nam hoc est S. Doctoris principium, quod ea omnis & sola substantia videri possit oculo corporeo, quæ habet partes, quarum aliæ minores minorem, & aliæ majores maiorem loci partem occupant. Unde manifestè sequitur, quod omnis substantia visibilis oculo corporeo, sit corruptibilis, & vicissim; quia substantia corruptibilis dicitur ea, quæ perire potest per dissolutionem partium. Item quod omnis substantia invisibilis oculo corporeo, sit incorruptibilis, & vicissim: quia substantia incorruptibilis dicitur ea, quæ quia simplex est, & caret partibus, non potest definere per partium dissolutionem. Pari ergo gradu apud Augustinum incedunt invisibilitas corporea & incorruptibilitas; & in principis Augustini Deus æquè est invisibilis oculo corporeo, ac incorruptibilis; proindeque summa necessitate invisibilis oculo corporeo, sicut est summa necessitate incorruptibilis.

Prob. 2. Potentia vitalis non potest elevari ad operandum vitaliter, nisi intra latitudinem objecti sui. Atqui Deus non continetur intra latitudinem objecti oculi corporei. Ergo, &c. Minor constat. Nam objectum adæquatum oculi corporei est lux materialis, & color. Deus autem non est lux materialis, neque color. Tota ergo difficultas est in maiore, quæ sic probatur. Quia ens quodlibet elevari non potest ad quidlibet, sed solum quodlibet ens potest elevari ad id, ad quod habet quandam inchoationem potentiae, quæ perfici & compleri potest, vel intrinsecè per aliquid à Deo productum, & inherens enti; vel extrinsecè per externam, quamvis intimam maximè assistentiam omnipotentiae divinæ. Quid enim aliud est, ens ad aliquid elevari, quam inchoatam ejus ad aliquid operandum potentiam perfici & compleri? Atqui potentia vitalis neque perfectam, neque inchoatam potentiam habet ad operandum vitaliter, nisi intra latitudinem objecti sui. Quis enim vel somnari potest v. g. in visu esse inchoatam facultatem audiendi, gustandi, &c. aut in auditu esse inchoatam facultatem videndi, olfaciendi, &c. Ergo, &c.

Confirmatur. Potentia visiva, qua talis potentia vitalis, est potentia perceptiva talis impressionis factæ in tali organo. Ergo non potest elevari in ratione talis potentiae vitalis, nisi elevetur in ratione potentiae perceptivæ talis impressionis, factæ in tali organo. Atqui non potest elevari in ratione potentiae perceptivæ talis impressionis, factæ in tali organo, nisi in ordine ad perceptionem lucis & coloris; cum talis impressio, facta in tali organo, essentialiter ordinetur ad percipiendum lucem & colorem; & quando talis est talis organi commotio, absolute repugnat per illam aliud percipi, quam lucem & colorem. Ergo potentia visiva non potest elevari in ratione potentiae vitalis, nisi in ordine ad perceptionem lucis & coloris; & consequenter non potest elevari, nisi ad videndum corpus lucidum, vel coloratum, cujus visio vires ejus naturales superat. Atqui Deus neque lucidus est, neque coloratus. Ergo, &c.

Obj. 1. Scripturam. Job. c. 19. dicitur: *In carne mea videbo Deum meum*, Et c. 42. *Auditu auris audivi te. Nunc autem oculus meus videt te.* Et Isaia c. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Et 1. Cor. c. 13. *Videmus nunc per speculum, in enigmate: tunc autem facie ad faciem.* Et 1. Joan. c. 3. *Similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Et Matth. c. 5. *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Ergo Deus videri potest, & videtur oculo corporeo. N. conseq. Nam

R. ad 1. Locum, cum S. Thoma ad 1. Cum dicitur, *In carne mea videbo Deum: non intelligitur, quod oculo carnis sit Deum visurus, sed quod in carne existens post resurrectionem, visurus sit Deum.* Idem respondet S. Augustinus lib. ult. de Civ. c. 29. ubi rectè observat Jobum non dixisse, per carnem meam, sed, in